

Author: Doni, Giovanni Battista

Title: Ioannes Baptista Donius Ioanni Iacobo Chifletio Salutem

Editor: Massimo Redaelli

Source: Florence, Biblioteca Marucelliana, MS A.290, f.<1v>-<2r>

[39. in marg.] Ioannes Baptista Donius Ioanni Iacobo Chifletio Salutem

Non magnae quidem molis librum ad te [[mittend]] perferendum curavi doctissime Chifleti sed (ut spero) nec rerum inanem, nec nouitatis causa ingratum penitus ueris Musarum cultoribus qualis tu es futurum Quid in eo secutus sim paucis accipe. Primum hac occasione arrepta religiosae salutationis officio [[perfungerer teque uirum praestantissimum tanto post interuallo]] [tecum corr. Supra lin.] defungerer, tibi que praestantissimo uiro tanto post interuallo in [[uer]] memoriam reuocarem hominem [[tibi deditissim]] tui amantissimum [[quem amicitia ac et colloqui]] quem amicitia olim tua sponte atque humaniter complecti dignatus es: in Hispania uidelicet ubi me elegantissimo eo libello quem de portu Iccij scripseras donatum uoluisti. Secundum ut [[q]] hoc qualicumque munusculo [-f.<2r>-] beneuolentiae in te meae monumentum aliquod extaret [[ac donum]] Tertio ut acerrimi iudicij tui libra, eorumque qui in florentissimis istis regionibus reconditoribus Musis elegantique musicae in primis operam dant scriptum hoc [[nimis]] informe adhuc ac nimis propere fortasse conceptum elaboratius ac particulatius denuo si opus fuerit prodeat Ac demum ut opportunum aliquem Monitorem sibi subijcerem qui si quando abstrusius [abstrusium ante corr.] aliquod monumentum musicae ueteris in manus tuas uenerit continuo hortetur ut illud mecum communicare non graueris, [[ut]] quod superioribus mensibus Menestrier noster ostendit te esse facturum Gratissimum porro mihi fuerit sicubi Boethij uetustum aliquod exemplar reperietur ut gemina et capita libri quarti alioqui pusilla in quibus ueteres notulae musicae continentur quam diligentissime mihi excribi cures. [[Interea]] Quod si qua in re operam tibi meam commodare posse intellexeris, scito nihil pensius me habiturum quam ut iussionibus tuis, [[<.>]] quam diligentissime satisfaciam. Vale Romae Idibus Iunij MDCXXX [VI supra lin.]